

A scopis, episcopis, cæterorumq; locorum ordinarijs præcipimus & mandamus, ut ipsi & eorum quilibet per se uel alium seu alios, sub pœna excommunicationis, quam ipsorum quemlibet qui mandatorum nostrorum huiusmodi transgressor & contemptor fuerit, incurrere uolumus ipso facto, præsentibus nostris processibus per eorum aut chartarum uel membranarum seu transumptorum continentium eosdem, quibus sicut ^{al. continētis} uti nostris processibus tantam uolumus fidem adhiberi, in ecclesijs ualuis seu alijs locis afflictionem publicent, & præfatos transgressores & contemptores huiusmodi excommunicationis & anathematizationis sententijs ligatos, ac terras, ciuitates, uillas, castra, oppida & loca præfata huiusmodi ecclesiastico interdicto supposita, quamprimum ipsis uel eorum alicui de hoc legitime constiterit, tandiu in ecclesijs denuncijs & alijs festiuis diebus, dum inibi maior fuerit populi multitudo, campanis pulsatis, & candelis accensis & extinctis denuncient, & interdictum huiusmodi inuiolabiliter faciant obseruari per censuras ecclesiasticas aut alia iuris remedia, inuocato ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachij secularis, donec ipsi transgressores & contemptores meruerint ab huiusmodi excommunicationis & anathematizationis sententijs absoluti-
B onis beneficium obtinere, dictumq; interdictum merito debuerit relaxari, non obstantibus omnibus supradictis, seu si aliquibus coniunctim uel diuisim à sede prædicta indultum existat, quòd interdicti, suspendi, uel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam & expressam ac de uerbo ad uerbum indulto huiusmodi mentionem. Datum Constantiæ pridie nonas Iulij, Anno à natiuitate domini millesimo quadringentesimo decimo quinto, sede apostolica uacante, regnorum serenissimi principis domini Sigismundi Romanorum & Hungariæ regis, uidelicet electionis quinto, coronationis primo, Hungariæ uero XXI. X. Finita autem sessione, libri Ioannis Hufz fuerunt combusti in platea palatii episcopalis, uidelicet liber de ecclesia & alia opuscula eiusdem.

SESSIO DECIMASEXTA.

D IE Iouis undecima mensis Iulij supradicti, fuit sessio generalis in maiori ecclesia celebrata Constantiæ, in qua præsidebat reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis cardinalis Viuariensis. Et fuit cantatum officium missæ de Spiritu sancto per reuerendum patrem dominum Nicolaum episcopum Merseburgen. Quo completo; legebatur letania &c. more aliarum sessionum, & dominus Andreas electus Peshnauienfis legebat certa capitula & ordinationes seruandas, tenoris subsequentijs.

¶ Deputatio ambasciatorum concilij ad Aragoniam.

Sacro sancta Constantiensis synodus generale concilium faciens, in Spiritu sancto legitime congregata, secundum mentem & effectum ordinationis seu decreti in ultima sessione facti seu lecti, ad requirendum dominum Petrum de Luna, Benedictum decimum tertium in sua obedientia nominatum, & alia faciendum quæ fuerint necessaria & opportuna, facit, constituit & ordinat procuratores generales, uidelicet reuerendissimos in Christo patres dominos Iacobum Turonensem archiepiscopum, Petrum Ripensem, Iacobum Adriensem, Ioannem Gebennensem, episcopos, Ioanem abbatem sancti Eligij Nouiem, Conradum de Sufato, sacre theologiæ magistrum, Ioannem de Opizis sacri palatii auditorem, Petrum Paulum de Iustinopoli utriusque iuris, Lampertum de Stipite priorem prioratus conuentualis de Bortua Leodiensem diocesis, Ioannem Vuelis, Hugonem Holbabe, Bernardum de Planta decretorum, & Ioanem de Fabrica le-
al. Opizis
al. Holbabe
 gum doctores, præsentibus & acceptantibus, & Benedictum Gentianum uniuersitatis Parisiensis sacre theologiæ professorem, absentem tanquam præsentem, ita tamè quòd ipsi omnes, aut ipsorum quatuor, unà tamen cum consensu serenissimi principis domini